



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM LITTERAE DECRETALES *BEATA MARGARITA BOURGEOYS*

SANCTA ESSE DECERNITUR ET DEFINITUR

In historia propagationis Ecclesiae, quotiens novae terrae reperiabantur, multae animae eundem accessum, quem Abraham: «Dixit autem Dominus ad Abram: Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui in terram, quam monstrabo tibi. Faciamque te in gentem magnam et benedicam tibi et magnificabo nomen tuum, erisque in benedictionem» (*Gn* 12, 1-3). Inter omnes, qui hunc interiorum accessum animadverterunt et secuti sunt, eminet Margarita Bourgeoys, exemplar dignum quod universae Ecclesiae proponatur ad imitandum et venerandum, quodque titulum meruit «Matris regionis et Ecclesiae cuiusdam». Cum prorsus magna Americana continens attacta est et dein gradatim vestigata, capta, evangelizata ab Europa christiana, vel fere saeculo post, Margarita Bourgeoys nata est in urbe Trecis, e numerosa familia, modesta et christiana, cuius parentes fuerunt Abraham Bourgeoys et Villedma Garnier, die XVII mensis Aprilis, quo etiam baptizata est. Eius vitae primos viginti annos omnino ignoramus. Ipsa ferme sola, ad gratias Domino agendas, ultimis suis annis narrat nobis educationis bona a parentibus ea aetate acceptae, a sacerdotibus, qui eam celeriter ad viam direxerunt pietatis, ad quoddam vitae genus, iam vitae mulieris religiosae in mundo similis. Damna belli eam excitaverunt ad misericordem caritatem: «Servire pauperibus maxima erat eius sollicitudo», quaedam cognata scripsit. Cum undeviginti esset annorum et matre orbata, pater ei curam domus delegavit et fratrum minorum natu educationem. Nihil tamen praemonebat iter spiratale extra vias ordinarias eam esse facturam. Sed ad maiorem magnanimitatem et derelictionem vocabatur, ut ei Virgo Maria significavit viginti annos natae, inter pompam in honorem Sancti Rosarii. Affirmavit enim se tactam esse, mutatam, sibi non iam cognitam, dum Virginia Mariae imaginem aspiciebat. Statimque suis «vanitatibus» depositis statuit ex mundo se recipere, ut se servituti Dei totam traderet. Itaque se contulit imprimis ad pueros educandos, ad aegros pauperes, ad morientes et ad mortuos curandos, cum interim ante omnia sacramenta paenitentiae et Eucharistiae obiret. In animo habebat religiosa fieri; sed Virgo Maria per moderatorem spiritus indicavit illi se nolle eam vitam monialis in monasterio clausae degere, proposuitque ut eius vita esset «viatrix». Et quidem post aliquot considerationis annos, mense Maio anno MDCLIII Praefectus Canadae eam hortatus est ut se sequeretur aliquasque ibi mulieres assequeretur, iam profectas, quibuscum aegrotos et pueros curaret, exciperet «feras incultasque gentes» se convertendi studiosas. Inde, post Virginis visionem, quae ei dixerat: «I, nequaquam te relinquam», consilium cepit. Huic affirmationi fisa, Margarita urbem patriam reliquit semel et in perpetuum die VI mensis Februarii anno MDCLIII, sine pecunia, pro sartina fasciculum secum habens, qui sub brachio poterat portari. Die XVI mensis Novembris anno MDCLIII, post novem navigationis menses, Marianopoli de navi exiit, quo nomine tunc urbs Montréal appellabatur. Primum cordi ei fuit rursus crucem extollere in colle, quam «Iriquenses» diruerant. Quo actu et aliquid alti significare voluit et Christum deprecari, qui eas in aerumnis regere debebat. Ab anno MDCLIII ad annum MDLVIII innumerabilibus colonis servivit, peculiarem tamen adhibens sollicitudinem de matribus deque earum pueris, adeo ut merita sit «Mater coloniae» vocari. Insuper potissimam operam navavit pueris

congregandis, ut eos erudiret, christianam doceret doctrinam atque ad humiliores vitae labores institueret. Fuit etiam ab ea aegris consulendum auxiliumque ferendum ceteris mulieribus, quae eos curabant, sed non erant numero sufficientes. Cotidie, praeter alias necessitates et interdum in periculis, quae e globes armatis oriebantur, ad terram suam defendendam contra ereptores paratis, niti oportebat novas domus aperire et quos eiusmodi opera postulabat invenire. Margarita Bourgeoys septem confecit itinera in Galliam, unde identidem secum pias ducebat animas, quae eius exemplo incitabantur ad pericula obeunda terrarum novarum et ad se Deo consecrandas. Ita orta est Congregatio a Domina Nostra Marianopolitana, quam rex Galliae anno MDCLXXI publice approbavit, Episcopus vero anno MDCLXXVI. Ab hoc anno «Filiae saeculares» percurrebant «binae» ripas fluminis Sancti Laurentii, «sicut Maria in sua Visitatione», ut puellas institutione bonas christianas redderent et exinde bonas matres familias, iuxta praecipuam visionem Servae Dei. Iam primae postulantes Canadenses vel «Iroquenses» novitiatum ingrediebantur et stabiles aperiebantur «missiones», rogante Episcopo vel paroehis. Anno MDCLXXVIII Serva Dei vidit finitum opus, quod pietas in Mariam ei ab anno MDCLVII inire suaserat: aedificationem videlicet Aediculae Dominae Nostrane a Bono Auxilio, quae primus locus fuit peregrinationis in honorem Matris Dei in regione Marianopolitana. Quod ad Congregationem attinet, cum haec iam satis formata videretur, Episcopus, Servae Dei exaudiens optatum, eam munere Antistitae exoneravit. Longi laborum anni – spiritus vera nox – iam Servam Dei purificaverant; septem anni, quibus clausa fuit in valetudinario, eam «Bono Magistro» similem fecerant. Non tamen destitit Congregatio invigilare: tuncque quae non potuerat ore dicere, scripsit, et scripta fuerunt quasi thesaurus, onde Filiae eius none quoque hauriunt. Die XXIV mensis Iunii anno MDCLXXXVIII subscripsit acceptioni Regularum Institute Filiarum Saecularium Congregationis a Domina Nostra, quales approbaverat Episcopus Quebecensis, Dominus de Saint-Valher. Deinde publicam votorum religiosorum professionem fecit, quae iam quadraginta annos exercebat. Vere tum poterat dicere: «Nunc dimittis». Et quidem mortua est die XII mensis Ianuarii anno MDCC, cum vitam suam devovisset pro sanatione iuvenis sororis, in mortis colluctatione versantis. Margarita Bourgeoys et mulieres quae eam secutae sunt, non erant religiosae votis obstrictae, etsi iam earum globus appellatus est «Congregatio». Ita conditae sunt huiusmodi consociationes laicorum magnanimatorum qui, gratia baptismatis iam firmati, conabantur Christum extendere a se inventum, vel quibus se Christus revelavit interdum, ut eos mitteret nomen suum in mundum universum portaturos. Magnum hoc est exemplum, quod Margarita Bourgeoys nobis reliquit: exemplum magnae animae, alacris, quam Virgo Maria allexit ut Filium suum hominibus novarum terrarum daret. Labores ad eius canonizationem obtinendam solummodo tamen inierunt anno MDCCCLI. Deinceps Decretum Introductionis Causae editum est a Leone XIII die XIX mensis Decembris anno MDCCCLXXVIII. Die XIX mensis Iunii anno MCMX Pius X eius virtutes heroum more exercitas agnovit et Pius XII eam in Beatorum numerum rettulit die XII mensis Novembris Anno Sancto MCML. Christifidelium autem in recens declaratam Beatam crevit in dies religio atque ea deprecante Deus multa est largitus beneficia, inter quae et asserta miracula. Quapropter Causa Canonizationis resumpta est die XVI mensis Martii anno MCMLX, Ioanne XXIII probante, et actores prodigiosam, quae putabatur, sanationem Apostolicae Sedi exhibuerunt, uti propositum consequerentur. De sanatione agebatur Lisae Gauthier, secundum et vicesimum aetatis annum agentis, a tumore maligno in intestino «colon» radicato, pessimae speciei cancro, post imploratum Beatae patrocinium a parentibus aegrotae et a Sororibus Instituti Beatae Margaritae Bourgeoys, postque infirmiae impositam reliquiam. Instructo Processu Canonico disceptatum est de hoc asserto miraculo, estque disceptatio felici cum exitu conclusa tum in Congressu Peculiari Patrum Consultorum die XIX mensis Novembris anno MCMLXXXI acto, tum in Coetu Plenario Patrum Cardinalium in Aedibus Vaticanis celebrato die XII mensis Ianuarii anno MCMLXXXII, Ponente Causae Rev. mo Cardinali Francisco Carpino. Faventem eorum sententiam Nos ratam habuimus et Decreto die II mensis Aprilis anno MCMLXXXII prodito ediximus sanationem Lisae Gauthier miraculo factam esse. Quapropter in Sacro Consistorio die XXIV mensis Maii, anno MCMLXXXII celebrato, statuimus Beatam Margaritam Bourgeoys in Sanctorum

numerum referre. Hoc igitur fausto die, maxima cum Nostris animi et universi Populi Dei laetitia, in Patriarchali Basilica Sancti Petri in Vaticano, ad quam multi ex orbis terrarum partibus pietatis causa peregrinatores advenerant, et ubi plures S. R. E. Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Praelati Curiae Romanae aderant, Nos precibus obsecundavimus Venerabilis Fratris Nostris Petri Palazzini, Praefecti Congregationis pro Causis Sanctorum, qui Nos oravit ut Beatae Margaritae Bourgeoys Sanctorum Caelitum honores decerneremus. Itaque, postquam auxilium omnium Sanctorum imploravimus ac Divino Spiritui adhibuimus preces, vi supremi Ministerii, quo fungimur et Universae Ecclesiae Magister et Vicarius Christi in terra, haec declaravimus et decrevimus: «Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae, et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius Implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatam Margaritam Bourgeoys et Beatam Ioannam Delanoue Sanctas esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eas in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris, et filii, et Spiritus Sancti. Amen». Quibus prolatis vocibus praecepimus ut haec conficerentur expedirenturque Litterae Decretales. Gratias autem et egimus Nos Deo una cum praesentibus utque sermonem habuimus de novensilibus Sanctis earumque mirandis virtutibus et operibus, caeleste earundem primi invocavimus patrocinium et augustiore rite divinum sacrificium ad earum pariter honorem perreximus facere. Quapropter omnibus, quae investiganda et ponderanda fuerant, accuratissime peractis, singula ea quae supra memoravimus, iam nunc toti Ecclesiae patefacimus, mandantes ut harum Litterarum exemplis et locis, etiam typis editis, manu tamen alicuius tabellionis subscriptis sigilloque impresses, eadem prorsus fides habeatur, quae his ipsis tribueretur, si quando deinde exhiberentur. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die uno et tricesimo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo secundo, Pontificatus Nostris quinto.* EGO IOANNES PAULUS

Ecclesiae Catholicae Episcopus Iosephus Del Ton, *Protonot. Apost.* © Copyright 1982 - Libreria Editrice Vaticana